



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXXIX. Scientiarum compendium. Illuminatissima scientiis, &  
cognitione entis divini vixit Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

# DISCURSUS XXXIX.

*Maria supra omnes creaturas illuminatissima,  
Regina est Prophetarum.*

Exordium.

**E**X sacris litteris clare habetur, quod nomen Prophetæ, idem sit, ac *illuminatus*, seu *videns*, ita enim clare habetur, lib. i. Reg. cap. 9. *Qui enim Prophetæ dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Ratio est, quia de absconditis rebus adeò clare illuminabantur Prophetæ, ac si ea aperte ante oculos haberent. Mariæ nomen interpretatur S. Thomas de Aquino Opuscul. i. quod idem sonet, ac *illuminata* seu *videns*, verè etenim supra omnes creaturem illuminata fuit, & ideo colenda est *Regina Prophetarum*. SS. Patres desuper audiamus. *Quod Maria prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Iсаias per prænitionem Spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariae, qua Propheticæ afflata spiritu elocuta est: Quid enim ait: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* commentatur S. Basilius, in cap. 8. Isai. Proph. *Beata Virgo, etiam dum erat in utero Matris, habuit usum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu & ratione, ut perfectius, etiam in utero Matris contemplaretur Deum, quam unquam fuit contemplatus aliquis in perfecta aetate.* perorat S. Bernardinus Senensis, serm. de Concept. B. V. art. i. cap. 2. *Etiam in ipso Conceptu vel partu beata Virginis datum est ad horam, ut videret clare mysteria, ut in patria.* S. Antonius scribit S. Antoninus, part. 4. tit. 15. cap. 17. §. 1. *Sicut Maria Filius, statim perfectum sensum habuit, quando in ejus utero humanatus exiit, sic & Maria post suam nativitatem in juniori aetate, sensum & intellectum adepta fuit.* ait S. Brigitta,

S. Basilius.

S. Bernardinus Senensis.

V. art. i. cap. 2.

S. Antonius.

S. Brigitta.

gitta. in serm. Angeli cap. 12. Praeclissima Virgo, dum vi-  
xit adhuc in corpore mortali, interdum rapt a est in divitias glo-  
riae Dei, usque ad summa Trinitatis visionem, per speciem, multo  
tò itaq; clarus, & ut puto, multò frequentius ac diurnius,  
quam Paulus aut Moyes, arbitratur Dionysius Carthusianus.  
S. Diony-  
lib. 1. Sent. Dist. 16. Quæst. 2. Divinis illustrabatur intus vi- sius Carthu-  
stationibus, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia, con- sianus.  
firmat S. Hieronymus. Tom. 9. Epist. de Assumpt. B. V. ad S. Hierony-  
Paul. & Eustoch. hujus luminis gloriam te flagitamus piissima mus.  
Virgo, ut Reginam te Prophetarum profundis Conceptibus  
tantò felicius elucidemus.

## CONCEPTUS I.

Sponsa cœlestis, Mariæ Virginis figura, refert, se du- Confirma-  
ctam fuisse à sponso, id est Spiritu S. in cellam vinariam. In-  
troduxit me in cellam vinariam, Cant. 2. cap. Quid in cellâ  
vinariâ faciat sponsa? An vino assuefacere sponsam inten- ducio.  
dit sponsus, quod in cellam vinariam introducere compla-  
cuerit? Certè vinum bibisse Maria Virgo non legitur, quam-  
vis vinum in nuptiis Canæ in Galilæa deficiens, à Filio crean-  
dum solicitaverit misericordiæ Mater. Cur ergo in cellam vi-  
nariam Virginem sobriissimam introducit Spiritus S.? Vinum  
modicè sumptum, confortat cerebrum, acuit ingenium,  
animat intellectum, scientiæ ergo typus est vinum; non de  
materiali vino, sed de mystico canit sponsa, cuius mysterium  
pandit Rupertus Abbas, per cellam vinariam, gazophylacium  
Scientia divina intelligens, illuc Mariam Virginem introdu-  
xit Spiritus S., ut plusquam Prophetico eam spiritu superimple-  
ret, & luce verâ, quæ illuminat omnem hominem venien-  
tem in hunc mundum, supra omnem creaturam efficaciùs  
illustraret, quod & facto adimplevit. Verba Abbatis doctissimi  
recitemus, lib. 3. in Cant. Si quispiam dixit, & teste  
Deo, vel conscientia, non mentitus dixit, raptum se fuisse in Para-  
disum, sive ad tertium cælum, ita ut nesciat, sive in corpore,

nn

sive

sive extra corpus raptus fuerit, & audivisse arcana verba, que non licet homini loqui; quantò magis tu Regina cælorum, per se cælestibus interfuiſti, quippe quam & circumsteterunt, obſtricū vice, gloriam Deo concinenteſ Angeli, & inter hac di- dicisti, vel aſſecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet? Regina Prophetarum!

## CONCEPTUS II.

Prophetis proprium est, futura non ſolū prävidere, Sed präviſ etiam temporibus, antequām contingent, longe pränuñtiare; magna prävidit & pränuñtiavit de ſeipsā be- nedicta inter mulieres Virgo Maria, cūm enim per montana festinanter abiiffet in domum Elisabeth, ut ibidem cognata deserviret, humanissimè ſalutata, & digniſſimis honorum titulis excepta, inaudiuit Elisabeth encomiaſten. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? O, beata que crediſti, quoniam perficiuntur ea, que dicta ſunt tibi à Domino. Lūcæ 1. cap. Unde ſciverat Elisabeth, Mariam Virginem Ma- trem eſſe Domini ſui? non aliunde, quām ſpiritu repleti prophetizavit de Mariā. Et repleta eſt Spiritu S. Elisabeth, & exclamavit voce magnā, & dixit: Benedicta tu inter mulierē, & benedictus fructus ventris tui. Sed ſupra omnem prophe- tiam prädixit de ſeipsā Virgo benedicta. Ecce enim ex hoc be- tam me dicent omnes generationes. Quis hoc dixit, aut revela- vit illi? Dicta ſunt tibi à Domino. Ecce igitur ſupra omnes Prophetas Maria illuminata & videns, Regina eſt Propheta- rum.

## CONCEPTUS III.

Donum Prophetiæ, donum eſt Spirituſ S., ſemper enim prophetavere ii, ſuper quos Spirituſ S. dæcderat: in anti- quo Testamento teſtes ſunt Septuaginta illi viri Iſraël, de qui- bus lib. Numerorum cap. 11. Cumq[ue] requievifſet in eis Spir- 185,

tus, prophetaverunt. In novo Testamento Zacharias pater Joannis apud S. Lucam Evangelistam. 1. cap. *Et Zacharias pater ejus repletus est spiritu S. & prophetavit.* Supra quem Sanctorum omnium gratiosius descendit Spiritus sanctus? neminem hominum, vel etiam Angelorum perfectius replevit, in neminem pleniū supervenit, quam in Mariam, in eam cum omnibus suis donis largissimo imbre descendit, eam super omnes Prophetas, dono prophetiae copiosius superfudit, ipsa ergo dignissima est Prophetarum Regina. Favet Conceptui S. Athanasius serm. de Deiparā V. *Spiritus S. in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, que illi per rationem divini Principatus adiungunt, imbuens eam gratia, ut in omnibus esset grata, atque idcirco gratia plena cognominata est, eò quod ab impletione Spiritus S. omnibus gratiis abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur.* Adhuc clarius confirmat S. Amadæus. Homil. 3. *Spiritus S. superveniet in te; in alios Sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superveniet, quia pra omnibus & super omnes elegit te, ut superes universos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiae.* addit Doctor seraphicus S. Bonaventura. in Specul. B. V. Lect. 2. *Nunquid non supergressa es divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, & Angelorum, cum ipsis primitiva Virginum, Speculum Confessorum, Rosa Martyrum, Registrum Apostolorum, Filia Patriarcharum, Regina Angelorum, Oraculum Prophetarum.*

## CONCEPTUS IV.

Congregatis in pietate ac devotione Christicolis, die Pentecostes descendit de cœlo Spiritus S., sed itque supra singulos eorum, à primo usque ad ultimum, omnes illuminavit. *Repleti sunt omnes spiritu S. & caperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloquillis.* Act. 2. cap. *Quis piæ ac devotæ hujus congregationis caput & præses fuit? nonne Maria? Si ergo ultimum & minimum in illâ congregatione illu-*

nn 2

mina-

minavit Spiritus S., certè dignissimum ejus caput & præsidem potentius illuminaverit, Maria igitur supra omnes illuminata, Regina Prophetarum est. subscribunt SS. Patres. In omnibus mysteriis perfectè instructa erat Maria. inquit S. Bernardus. Hom. 4. super missus est. Maria illuminata erat per continuum sacra Scripturae lectionem, illuminata per profundissimam contemplationem, illuminata per amicabilem Angelorum visitationem, illuminata per Dei apparitionem, & manifestationem, illuminata per adventum, & repletionem spiritus & illuminata per factam in ejus utero Dei ipsius inhabitationem. docet B. Albertus Magnus. in Commentario super cap. 1. Lucæ. Et iterum Homil. 6. in Lucam. Maria Virgo habuit scientiam legis, & rationes Prophetarum quotidiana contemplatione agnivit. Paucis confirmat illustris in multis S. Laurentius Justianus. serm. de Purif. Tu eras perfecta in sapientia, propria Deo, Verbo Dei consanguinea, omnibus mysteriis celestibus repleta. assentitur S. Papa Gregorius. cum seraphico Bonaventura in Spec. cap. 8. Quidquid Patriarchis & Prophetis, immo & Angelis erat absconditum, non latuit Mariam. Rationem reddit S. Augustinus. serm. de Nat. Scientia Sanctorum deesse Maria non poterat, que ad pariendam prævisa erat plenitudinem Prophetarum, felici partugloriosa Regina.

## CONCEPTUS V.

Ex hæsitante in lingua, factus est Isaías disertus Oratio, quo medio? Calculo ignito Seraphim tetigit os ejus, & mundavit à labe. Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. ait ipse 6. cap. ex rudi pastore, factus est Moyses prudentissimus consiliarius dux, & præses Israëlitici populi; unde tanta prudentialis Per unicum amicabile, cum Deo in monte Horeb colloquium: Moyses autem pascebatur oves Jethro sacerdos sui, sacerdotis

dotis Madianis, apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi. Exod. 3. cap. Ex simplicissimis pescatoribus Petrus & Andreas facti sunt Apostoli, prædicatores veritatis in universo mundo, quâ arte? Per descensum Spiritus Sancti in figura linguae igneæ: Et apparuerunt illis dispergitæ lingue, tanquam ignis, sed itaque supra singulos eorum. Act. 2. cap. De inexperto juvene, Joannes factus est profundus, & mysteriorum Dei perspicax Theologus: in quâ scholâ? De pectore Domini fluenta hausit sapientiæ, quando supra peccatum Domini in cœnâ recubuit. Joan. 21. cap. Angeli, in omniscienciam eruditissimi sunt Spiritus: quâ de causâ? Quia continuò astant in conspectu Domini; supra omnes longè illustrior Maria est, Maria purificatione, ut Isaías, non indiget, nihil enim pollutum, macula non est in eâ; suavius & amicabilius, quam cum Moysè, locutus est Dei Filius cum Maria, quam innumeris vicibus filiali reverentia, amore tenuerrimo, Matrem vocitavit; plenitudine gratiarum, inter quas utique scientia censetur, supra omnes Apostolos Mariam superfudit Spiritus S., in sinu Mariæ sine numero JESUS suavissimè recubuit, Mariæ primum ad Dei Majestatem locum cessere Angeli, Maria purior Angelis, propinquissima Deo, Domini consanguinea, inter cœlestes incolas prima, mare gratiarum, electa ut Sol, Mater lucis veræ venientis in hunc mundum, illuminantis, Regina Prophetarum. Laetoris verbis suffragatur S. Bernardus. Hom. 4. super missus est. Quemadmodum Sol omnia cœli lumina fulgore suo superat, sic post Deum Maria omnes rationales creaturas fulgore scientia transcendent. Omnium Regina.

Cum ergo peregrinis nobis per desertum hujus mundi, Epilogus, perque umbram periculosisissimam mortis, ad veram lucem faciens sit transitus, illuminari à Matre lucis, gloriosissimâ Prophetarum Reginâ flagitemus, oratione illâ efficaci, quam Virgo ipsa pro felici morte S. Mechtildem edocuit, Hort. Mar. Art. 4. cap 5 O Domina mea sancta Maria! sicut Filius Dei, tantâ te cognitione, & claritate dignatus est, ut

nn 3

totum

totum cælum illumines, ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur. Amen.

Pulchra, velut luna, est Virgo præmillibuna,  
Non tam plena sibi, quam radiata tibi.  
Ut sole prole nitet, cum JESU luminamittit,  
Si non obstatis, sed cor utriq; dabis.



DL